ditas notaretur, ſed factum ex magiſtri facultate, ac imperio putatur. Præuidebat Dominus, relicto eo, omnes Diſcipulos in fugam ſe eſſe daturos, quod erat valde indignum, & res multa reprehenſione digna. Ne ergo tantus Diſcipulorum defectus oculis inimicorum eſſet apertus, ſed potius occultatus, & abſconditus; mandat, *Sinite hos abire*, vt fuga ipſa, non timori, ſed potius promptæ obedientiæ adſcriberetur; nam cum Iudæi, illud ab ore Domini audientes, Diſcipulos fugere viderent, facilè ſibi poterant perſuadere, quòd fuga ex imperio, ac diſpoſitione Magiſtri proueniebat.

Suorum diſcipulorũ defectum occultat bonus magiſter.

93. Luc. 15. Videns bonus ille Pater filium Prodigum ad ſe reuertentem occurrẽs illi benignè eum excepit: *Cecidit ſuper collum eius, dixit ad ſeruos ſuos; cito proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum*, &c. Luc. 15. num. 22. Valdè mirum, quòd veniebat iuuenis ille multa fame, ſitique vexatus, & quaſi ſemimortuus, de qua ipſe præcipue fuerat conqueſtus: *fame pereo*: veniebatque multo ſqualore, ac nuditate deformis, cur pius Pater illi occurrens primo, & ante omnia eum amplexu tenet, cum feſtinatione mandat veſtimenta afferri: *Cito proferte ſtolam*: & poſtea de eo reficiendo cibo cogitat: *Adducite vitulum ſaginatum*. Fames interius torquebat iuuenem: at nuditas, vtpote externa, expoſita erat omnium oculis. Benignus Pater occurrens filio ante omnia mandat afferri veſtimenta, & interim iuuenem amplexu tenet, veluti brachiis, ac pallio eius deformitatem, ac maculas celans, ne quis præter ipſum illius ſqualorem, ac nuditatem videret; & ipſe ex benignitate videt, vt veſtimenta præparet, & tribuat. D. Chryſologus ſerm. 3. de Prodigo. *Ante*, ait, *veſtiri voluit filium, quàm videri, vt ſoli Patri nota eſſet nuditas, quia Pater ſolus videre filij non poterat nuditatem.* Vide de his multa tom. 1. 2. & 3. Verbo Defectus.

Nuditatem filij abſcondit Pater.

Chryſoſt.

Qvæstio XI.

Quare non omnes Diſcipuli reſpondent, ſicut omnes in camino ignis laudabant?

94. *Ratio difficultatis.* Cvm Chriſtus quæreret à ſuis Diſcipulis: *Vos quem me eſſe dicitis?* Vnus reſpondet Petrus, eius diuinitatem confitens: *Tu es Chriſtus, filius Dei*: Cur non omnes reſpondent, & confitentur, ſicut in fornace Babylonica tres pueri quaſi ex vno ore Deum laudabant, & benedicebant. Daniel. 3. num. 51.

Daniel. 3.

95. Reſpondeo primò, quòd inlaudibus multæ reſonent voces, Deus enim multis modis eſt glorificandus, at in Confeſſione fidei, pro fidei vnitate innuenda, vna ſit vox. Sic ait Abulenſis quæſt. 16. Vnus Petrus reſpondet, ad oſtendendam vnitatem Eccleſiæ: fides Eccleſiæ indeficiens eſt, & vnica eſt, licet ſit diſperſa per totum Orbem; & ideo ad deſignandam iſtam vnitatem debuit confeſſio fieri per vnum.

Abulenſ. *Fides Eccleſia vna.*

96. Gaud. Secundò reſpondet D. Gaudentius ſerm. 1. Ordinationis ſuæ, qui dubium excitans ait: *Dicat fortaſſet aliquis: ſicut illos tres in camino fideles pueros ita in hoc examine omnes Apoſtolos conſona voce debuiſſe eadem profiteri: ſed conſiderandum, quia Iudas ille Iſchariotes, quod corde non crediderat, ore confiteri non poterat.* In fornace aderant pauci, tres ſcilicet tantum iuſti; at hic in præſenti erat turba Diſcipulorum; & vbi pluralitas interuenit, raro deficit vnus Iudas, qui errores, ac prauitates aſtruat, & proferat.

Vbi pluralitas, ibi Iudas, qui errores dicat.

97. Leo. Pro hac veritate confirmanda accipe, quod ponderat in preſenti Euang. D. Leo ſerm. 3. in Anniuerſario Aſſumptionis. *Omnes Apoſtolos*, ait, *Dominus, quid de ſe homines opinarentur, interrogat, & tandiu ſermo reſpondentium communis eſt, quandiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur. At vbi, quid habeat ſenſus Diſcipulorum, exquiritur, primus eſt in Domini confeſſione, qui primus eſt in Apoſtolica dignitate.* Cùm Dominus quærit, quid de ſe ipſo homines ſentiant, tunc omnes Diſcipuli reſpondent: *Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam.* Cùm incerta, ambigua, ac falſa proferuntur; tunc omnes communiter dicunt; *tandiu ſermo reſpondentium communis eſt, quandiu humanæ intelligentiæ ambiguitas explicatur.* At cum ad verum, & certum deuenitur, vnius, & primatis vox auditur. Ambiguitas, & falſitas in multorum ore inuenitur; veritas, & certitudo in vna tantum lingua conſtituitur.

Error in multorum ore; veritas in vnius lingua.

98. Iſai. 6. Origen. Diuini ſpiritus Seraphim apud Iſaiam 6. n. 3. *Clamabant alter ad alterum, Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Perbelle notat Origenes ibi homil 5. *Non alter ad plures, ſed alter ad alterum.* Confeſſione Summæ Trinitatis reſonabant ſpiritus; hæc autem erat alter ad alterum, & non ad plures, valde enim frequenter pluralitas ſuſpecta eſt in confeſſione, ac aſſeueratione veræ doctrinæ, quæ ad raros, ſcilicet ad vnum, vel alterum reſeruatur.

Confeſſio veritatis in vno, vel altero.

99. Pręſtantiſſimus homo Caleb memorans facinus ſuum; quo poſt exploratam terram promiſſionis, inter aliorum exploratorum murmura, ipſe ſolus cum Ioſue pro bonitate terræ, ac pro facili ingreſſu in illam exiſtens ait: *Miſit me Moyſes famulus Domini, vt conſiderarem terram, nunciauique ei, quod mihi verum videbatur: fratres autem mei, qui aſcenderant mecum diſſoluerunt cor populi.* Ioſue 14. num. 8. Duodecim viros, ac tribuum principes miſit Moyſes ad explorandam terram, Num. 13. num. 4. Et tamen ex eis vnus Caleb cum Ioſue verum teſtificant; alij vero omnes diſſoluerunt cor popoli: Hugo *Dicentes, nequaquam ad hunc populum valemus aſcendere.* Abulenſis, *detrahentes terræ Chanaan.* quòd ſcilicet deuorat habitatores ſuos. Ioſue, & Caleb tantùm verum dicunt; cæteri verò omnes falſa proferunt. Sic ſanè contingit, quòd veritas in ore vnius, vel alterius inuenitur; falſitas, ac mendacium per multorum linguas diuagatur.

Ioſue 14. Numer. 13. Hugo. Abulenſ.

Qvæstio XII.

Quare, cùm Chriſtus Dominus ſe dixiſſet filium hominis, Petrus eum fatetur filium Dei?

100. Christvs, ſuos Apoſtolos interrogando, ſe dixit filium hominis, *Quem dicunt eſſe filium hominis?* Petrus vero eum profitetur Dei filium: *Tu es filius Dei*: Ratio huius tantæ confeſſionis diuina gratia, vt dixi ſuperiori quæſt.

Primò

101. Fulgentius. Primò D. Fulgentius lib. 3. de Tranſimud Reg. cap. 15. ſic ait: *Neque hoc prætereundum exiſtimo, quod Chriſto primum ſe filium hominis nuncupanti Petrus dicit, Tu es Chriſtus filius Dei viui. Etenim Dei filius carnis humanitate ſuſcepta debuit in ſe ſacramentum magnæ pietatis oſtendere: homo verò redemptus debuit in humanis filio veram diuinæ natiuitatis ſubſtantiam prædicare, vt dum à Redemptore beneficium gratuitæ miſerationis oſtenditur, à redempto diuinæ confeſſionis obſequium redderetur.* Chriſtus ſe dicit filium hominis, Domini enim eſt, ſe ſe ad noſtram humilitatem, ac infirmitatem ex ſua eximia miſericordia demittere, vt hominem perditum reſtauraret. Petrus verò ait: *Tu es Chriſtus filius Dei*: Confeſſio eſt hominis grato animo ſe habentis, celſitudinem diuinitatis in ſuo Redemptore recognoſcentis, vt videns tantam celſitudinem ſic demiſſam, inde magis aſtrictum, ac obligatum ſe cenſeat, ac fateatur.

Domini eſt propter ſuos ſe demittere; at ſui memores ſint tanti beneficij eique grati.

102. Anſelm. Secundò D. Anſelmus *Notandum eſt*, ait, *quia cùm Dominus aſſumptæ humanitatis humilitatem profitetur, de ſe intimauit, quod minus eſt; Diſcipulus verò de eo intimauit, quod maius eſt.* Chriſtus Dominus, vt valde magnus, tacet ſui diuinitatem, & ſolùm dicit, & publicat humanitatem, quod eſt multo minus. Petrus verò, vt Incarnationis ſacramento gratus, dicit id, quod in Domino eſt excellentius, ſcilicet eius diuinitatem, vt inde maximè alliciatur ad recognitionem, ac reuerentiam tanti ſacramenti.

Nobilis de ſe dicit minus, & ſupprimit maius.

103. Tertiò. Dum Petrus in hac ſua confeſſione Chriſti ingenium imitatur, quædam veluti æmulatio inter vtrumque videtur interuenire: nã Chiriſtus, vt valde excelſus, in ſua interrogatione ſupprimit ſuã diuinitatẽ, quæ naturæ humanæ eſt impartita, ac vnita, & ſolùm commemorat noſtram humanitatem, quam à nobis accepit: *Quem dicunt eſſe filium hominis?* Petrus etiam, acſi totius humanæ naturæ perſonã ageret; in Chriſto recognoſcit eius diuinitatem: *Tu es filius Dei*: quę in alto Incarnationis myſterio humanæ naturæ hypoſtaticè eſt communicata, & data. Expreſsè autem, & aperte ſubtacet Petrus humanitatem, quam noſtra natura diuino Verbo ſubminiſtrauit. Sicut enim excelſi animi eſt, ſilere, quæ donat; ita & memoria, ac ore tenere, quod accipit. Appoſitè ait Seneca, lib. 2. de Beneficiis. cap. 10. *Qui dedit, beneficium taceat, narret, qui accipit.*

Magnus obliuiſcitur dati, recordatur accepti.

Seneca.

104. Pendens meus Ieſus in Cruce, cùm in manus Patris commendans animam ſuam ſacratiſſimam exhalaret, Ioannes 19. num. 49. ait: *Inclinato capite tradidit ſpiritum.* Ad quid meus Ieſus caput inclinat? Ad quid cæleſtis ſpiritus vult terram aſpicere? Sicut erecto capite Patri commendat animam, cur ſic etiam non emiſit ſpiritũ? Et ſicut alto clamore, cur etiam non ſic elato capite ſpirat? Ad quid inclinat caput? Arnoldus Carnotenſis tract. de verbo illo Domini: *Mulier ecce filius tuus*; præclare ait? *Filius ad pectus Matris, & vbera, Pater ad Filij crucem, & vulnera reſpiciebat.* Inclinat Chriſtus caput, vt reſpiciat pectus, non vt intueatur ſuum, ſtatim lanceæ cuſpide aperiendum, ingentemque daturum ſanguinis copiam, ex quo gratiæ fontes, ſcilicet ſeptem ſacramenta emanabunt, ait Arnoldus, *vt reſpiciat ad pectus Matris, & vbera.* O diuinum ingenium, ingenſque gratitudinis, ac liberalitatis norma! Non attendit meus Ieſus ad ſuum pectus, vberes gratiæ fontes ſtatim daturum, ſed ad pectus, & Matris vbera, ex quibus retro iam multis annis lactis guttas ſuſcepit. In hoc autem euentu quid Pater peculiariter intuens, noſtro dicendi modo deſcribitur? At præſentiſſimam ſibi diuinitatem, quam ab æterno pro omni inſtanti Filio communicat? *Pater*; inquit Arnoldus, *ad Filij crucem, & vulnera reſpiciebat.* O magna noſtræ informationis idea? Æternus Pater non introducitur intuens ſuam diuinitatem, quam ineffabili generatione Filio communicat, ſed aſpiciens obſequium à Filio in ſui honorem oblatum, quantumcũque præclaræ eius obedientiæ ad remunerationem veluti debeatur. Filius proponitur aliquando dati, nunquam verò accepti oblitus: Pater vero non quod Filio communicat, ſed quod Filius in eius gratiam offert, adſpicere commemorat.

Ioan. 19. Arnoldus.

Diuinum ingenium non attendere ad datum, ſed ad acceptum.

105. Gen. 47. Benedicens Iacob nepotes ſuos Ephraim, & Manaſſes, ait: *Deus, qui paſcit me ab adoleſcentia mea vſque in præſentem diem, benedicat pueris iſtis.* Gen. 48. num. 15. Valde mirabile, cùm Patriarcha deprecaretur Deum, vt eſſet propitius, cur ad hoc non poponit præclara ſua obſequia per tot annorum ſpatium, vt communiter ſolet fieri, cum propitiationem Dei exoptamus? Cur non commemorat votum ſuum exhibitum, tot altaria à ſe erecta, totque ſacrificia præſtita, tot tantoſque labores tanta patientia ſupportatos? Cur ſolum in oratione meminit de Deo, eum paſcente, nutriente, ac cuſtodiente à ſua iuuentute, ac infantia? O bona viri indoles! Proponit dona accepta, prætermittit obſequia perſoluta. D. Chryſoſtomus homil. 66. *Qui paſcit me à iuuentute mea*, &c. ſic ſubdit. *Gratæ animæ, ac piæ, & bene memoris beneficiorum Dei verba. Ille, inquit qui me à iuuentute mea vſque in præſentem diem educauit, qui me ab initio ab omnibus malis liberauit, qui tantam erga me declarauit prouidentiam.*

Iacob commemorat, non obſequia exhibita, ſed dona accepta.

Chryſoſt.

Qvæstio XIII.

Quare Petrus Chriſtum Dominum potius appellat filium Dei viui, quàm Dei Omnipotentis, Immenſi, ac Æterni?

106. *Ratio difficultatis.* Dixit Petrus: *Tu es Chriſtus Filius Dei viui.* Cur non dixit potius Dei Æterni, Immenſi, ac Omnipotentis? Per hæc attributa ſatis aperte ſupremam Diuinitatis maieſtatem explicabat: aliquid potius ait, *Dei viui?*

107. Hieron. Primo D. Hieronymus. *Tu es Chriſtus filius Dei viui Deum viuum appellat*, ait, *ad diſtinctionem eorum Deorum, qui putantur Dei, ſed mortui ſunt. Saturnum, Iouem, Cererem*, &c. *& cætera idolorum portenta ſignificans.* Deum viuum appellat, ideſt Deum verum denotans, Scripturarum more, vt ab idolis diſtinguat: *putantur Dij, & mortui ſunt.*

108. Origen. Secundò Origenes Filius Dei viui, ſcilicet qui per prophetas dixerat: *Viuo ego, dicit Dominus.* Et ideo dicebatur viuus ſecundum ſuperexcellentã, que ſupereminet omnibus habentibus vitam, ſolus enim Deus proprie habet vitam, & immortalitatem, quia eſſe eſt viuere; & ſicut Deus proprie, & abſolute eſt, de eoque proprie, & abſolutę prædicatur eſſe, *Ego ſum, qui ſum.* Exod. 3. Sic Deus proprie, & abſolute viuit, de eoque vita prædicatur, & ita Deus viuit formaliter vita diuina, & beata, vt cauſaliter omnibus rebus à ſe

Deus vitæ fons. Exod. 3.

creatis ſuam vim, ac vigorem; viuentibuſque animam, & vitam inſpiret; ab ipſo enim velut à fontes omnium vita emanat. Vide quæ dixi ad illa verba Ioan. 1. num.4. *In ipſo vita erat.*

109. Abulenſ.
Tertiò Abulenſis quæſt. 58. Dicitur filius Dei viui, ad imitandum modum loquendi Scripturæ, quæ, vt explicet excellentiam, ac maieſtatem Dei, Deum viuum appellat. Sic dicebat Dominus de ſe, *Viuo ego, dicit Dominus.* Et ita iurantes dicebant, *Viuit Dominus, & viuit anima tua* 3.Reg.71. num. 1. & 12. & 4. Reg. 2. num. 24. & cap. 3. num. 14. Ita & Petrus ad explicandam celſitudinem Dei, cuius filium Chriſtum appellat, eum dicit filium Dei viui, antiquam ſuæ gentis conſuetudinem tenens, & ſeruans.

3.Reg.17. 4.Reg.2.&3. *Antiqua conſuetudo ſuæ gentis tenẽda.*

110. *Chriſtum filium naturalem fatetur D. Petrus.*
Quartò. D. Petrus in præſenti appellans Chriſtum *filium Dei viui*, aperto argumento conuincitur, quòd eum dicit filium Dei naturalem. Nam Petrus filium Dei vocans Chriſtum Ioanni, Eliæ, & Ieremiæ, & Prophetis opponit, quos vtpote iuſtos, certum eſt filios Dei adoptiuos extitiſſe: ergo cùm per diſtinctionem ad eos Chriſtum dicit filium Dei, non intelligit filium adoptiuum, ſed naturalem. Hoc argumento ad probandam Chriſti diuinitatem vtuntur antiqui Patres D. Hilarius in Comment. hoc loco. & lib.6. de Trinit. D. Athanaſius ſerm. 3. contra Arianos, & in Epiſtola de ſententia Dionyſij Alexand. contra Arianos D. gaudentius ſerm. 1. Ordinationis ſuæ, Ioannes Caſſianus lib. 3. de Incarnatione Domini.

Hilarius. Athanaſius. Gaudentius. Ioan. Caſſian.

111.
Confirmatur. Quia ideo non dixit Petrus filium Dei Omnipotentis, ſeu benedicti, ne filiatio adoptiua, ex Omnipotentia, aut benedictione Dei facta ſignificaretur; ſed dicit filium Dei viui, ad explicandum, quòd eſt filius Dei naturalis, procedens naturaliſſimo viuentis opere, quod eſt per generationem Sic commentantur hîc Caietanus, & Lucas Burgenſis. Obiicit Salmeyron tom. 4. part. 3. tract. 1. Quod etiam filij adoptiui nuncupantur filij Dei viuentis. *Et erit in loco*, &c. *vbi ei dicitur filius Dei viuentis.* Oſee 1. num. 10. Reſpondetur tamen, quod Propheta de filiis Eccleſiæ ait: quòd *dicetur eis.* At Petrus in præſenti loquitur per verbum ſubſtantiuum proprium diuinitatis, opponens filiationem naturalem filiationi adoptiuæ.

Caietan. Burgenſ. *Obiectio Salmeronis.* Oſee.

112.
Quintò. Cur pótius ait Petrus, filius Dei viui, quàm Dei Æterni, Immenſi, infiniti, ſeu Omnipotentis? Æternitas, Immenſitas, infinitas, Omnipotentia ſunt attributa, quibus Deus mirificè gaudet, & fruitur. At vita ita eſt ſuper excellentia Dei vt eam Deus homini communicet, illiúſque homo fiat particeps. *Inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ*, Gen.2. n.7. Publicatur ergo Chriſtus potius filius Dei viui, quàm Æterni, ſeu Immenſi: magis enim Deus quodammodo vult cognoſci, ac manifeſtari per ea, quæ nobis communicat, quàm per illa, quæ ipſe ſolus poſſidet, ac ſibi retinet.

Geneſ. 2. *Chriſtus magis gloriatur de his, quæ communicat, quam de his quæ poſſidet.*

113. Geneſ. 2.
Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, Gen. 2. num. 4. Inueſtigandum eſt à nobis: Cur quando hominem formauit, nomen Domini ei attribuitur, cum in productione aliarum creaturarum Dei nomine ſolum gaudeat? De creatione cæli, & terræ dicitur: *In principio creauit Deus cælum, & terram*, non Dominus. *Dixit Deus, fiat lux*; non dixit Dominus; & ſic vſque ad hominis creationem. Cur ergo potius in præſenti hoc nomine gaudet, quàm in productione aliarum rerum? Ante hominis formationem, non dabatur in hac viſibili machina, quiſpiam, cui Deus dominationem communicaret: at producto homine, iam perſona exiſtebat, quæ dominationis particeps fieret: *Dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli*, Tunc Deus nomen Domini ſibi adſcribit, ſéque Dominum nominari vult, cùm iam ſit productus homo, cui tale nomen conferat, quemque illius participem reddat. Tertullianus lib. aduerſus Hermonem cap. 5. *In principio*, ait, *fecit cælum, & terram, & dicit Deus, fecit Deus, & vidit Deus nuſquam Dominus; at vbi vniuerſa perfecit, ipſum quoque vel maximè hominem, qui propriè Dominum intellecturus erat, Dominus etiam appellatur; ac inde Dominus, qui retro Deus tantum, ex quo habuit eius eſſe*, Quaſi diceret, Creato homine Dominus vocatur, cùm iam homo habeat eius eſſe per participationem, vt poſſit aliis dominari. *Ex quo habuit eius eſſe.*

Deus tunc Dominus vult dici, cũ dominationẽ homini communicat.

Tertullian.

Matth. 16. num. 17. Reſpondens autem Ieſus dixit ei: Beatus es Simon Bar-jona: quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, ſed Pater meus, qui eſt in cælis.

VERSIONES.

Syriacus. Et dicit ei: Felix es, Schemeoun Bere de Iauno, ſiquidem caro, & ſanguis.

D. Anſelmus. O Simeon Beatus es.

EXPOSITIO V.

114. Hieronym.
STATIM, ac Petrus confeſſus eſt Chriſtum Dominum verum Deum, ac hominem abſque vlla dilatione, vt ait D. Hieronymus, *mercedem recepit vera confeſſio*, dum eum beatum dicit, multíſque promiſſionibus replet. Et, vt ait Theophylactus, *Petrum approbans*, ſcilicet Dominus, *oſtendit conſequenter, aliorum hominum opiones eſſe falſas*, Sic Chriſtus Petro reſpondet.

Theophyl.

115. Syriac.
Beatus es, ſeu vt legit Syriacus *felix*, ob tuam de me fidem, Petre. Fides enim eſt baſis, ac initium omnis gratiæ, & gloriæ, per illámque ducimur in vitam æternam. *Bar-jona* per contractionem, vt multi, teſte D. Hieronymo, & Paſchaſio, volunt, pro Bar Iohanna; nam Syriacè Bar, id eſt filius, vt notat Euthymius, hoc eſt filius Iona, ſeu Iohanna, quod erat nomen patris Petri Io. 21. num. 15. *Simon Ioannis*, magno cum myſterio, vt inquiunt Paſchaſius, Euſebius Gallicanus; nam Iohanna, ſeu Iohannes, id eſt gratia, ſeu miſericordia, per quam illuminatus eſt. Vel ponitur nomen patris piſcatoris pro humilitate inculcanda in dignitate. Iona verò propriè columbam ſignificat, ad denotandum, quòd non tantum eſt filius Ioannis, ſeu patris, ſed etiam eſt filius gratiæ, filiúſque diuini Spiritus, qui in ſpecie columbæ apparuit, quique illum in tantam fidem induxit, & illuminauit. *Caro, & ſanguis non reuelauit tibi*; hoc eſt homines, conſtantes carne, & ſanguine, non reuelauerunt tibi, nec te hanc meam diuinitatem docuerunt. Et non dixit, vobis, ſed, tibi, vt notat Caietanus, vt innuatur, quòd hæc

Hieron. Paſchaſ. Euthymius. Ioan. 21. Euſeb Gall. Caietan.

reuelatio ſoli Petro facta ſit. *Sed Pater meus, qui eſt in cælis*, à quo eſt omne bonum, vt cõmentatur Carthuſianus; *qui in cælis eſt*, vbi maximè ſuam gloriam manifeſtat. In quo etiam ſignificatur ingens cura diuini Patris de nobis, qui ita in cælis cum ſuis Electis, ac beatis regnat, vt etiam recordetur de humilibus, ac paruulis in terra degentibus, verbi gratia, de Petro, vt eos doceat, ac illuminet, multíſque domis repleat, & ditet.

Carthuſ. *Deus curam habet de paruulis, & humilibus.*

116. *Cur Marcus Petri laudes non ſcribit?*
Hîc maximè notandum, quòd cùm hanc hiſtoriam ſcribant D. Matthæus, & Marcus, qui penè deſcriptor, ſeu breuiator Matthæi videatur, has Petri laudes in ſuo Euangelio D. Marcus non ponit; præcipuè cùm Petri diſcipulus fuerit, & hoc ad magnam Petri gloriam faceret. Cur Marce, tui amantiſſimi Magiſtri gloriam diſſimulas, & abſcõdis? Rationem inculcat Euſebius Cæſarienſis lib. 3. Demonſtrat. Euangel. cap. 7. *Cùm*, ait, *tam multa dicta ſint Petro à Ieſu, Marcus nihil horum commemorat: propterea quod nec Petrus quidem talia in ſuis enarrationibus enuntiauit*, Idem etiam docet D. Chryſoſtomus homil. 59. in Matth. D. Marcus ſcribebat in hiſtoria Euangeliga, quæ à ſuo Magiſtro Petro percipiebat; Petrus autem in ſuis ſermonibus maximè ſupprimebat, quidquid propriam laudem redolere videbatur; quæ autem ad eius humilitatem, ac negationem ſpectabant, valdè minutim, ac ſpecioſè dicebat. Vnde inter cæteros Euangeliſtas Marcus exactius Petri negationem ſcribit, vt notat Petrus Damianus ſerm. 1. de Euangeliſta Marco, ſolus enim ipſe vtitur verbo anathematizandi, quod valdè acerbiſſimum eſt: *Cœpit anathematizare, & iurare, quia neſcio hominem iſtum, quem dicitis*, Marc. 14. num. 71. Cuius rationem ſubdit citatus Euſebius. *Omnia enim, quæ apud Marcum leguntur, narrationum, ſermonumq́; Petri dicuntur eſſe*, Magnus Petrus ſuas laudes diligenter abſcondit; ſuas vero ignominias, vtpote negationem dilectiſſimi Magiſtri, clariſſime euulgat.

Euſeb. Cæſar. Chryſoſt. Damianus. Matth. 14. Euſeb. *Petrus ſuas laudes tacet, ignominias diuulgat.*

QVÆSTIO XIV.

Quare Chriſtus Dominus appellat Petrum beatum, cùm adhuc viueret, eſſetq́; moriturus, eumq́; negaturus?

117. Tertullian. Leo.
PRIMO, vt docet Tertullianus lib. 4. contra Marcion. & D. Leo ſerm. 2. in Anniuerſario Aſſumptionis eius. D. Petrus, cùm adhuc viueret, à Chriſto prædicatur beatus, ſeu felix ob præclaram fidem, conſtantemque, ac firmam illius confeſſionem, qua primus inter cæteros eminet: per fidem enim ducimur in beatitudinem, illaque eſt initium noſtræ ſalutis aſſequendæ. Et cùm Petrus in hac tanta virtute, ac fidei confeſſione eſſet primus, vt tenet D. Hilarius quæſt. ſequenti citandus, inde maximè vt felix decantandus, ac glorificandus eſt.

Hilarius. *Primus in aliqua virtute honorandus maximè.*

118. Alb. magnus. Thomas. *Cognitio Dei facit beatum.*
Secundò Albertus magnus, S. Thomas, quòd cùm Petrus ſupernaturaliter illuminatus à Patre cognoueris veram Chriſti diuinitatem, ac humanitatem, inde beatus prædicatur, vera enim beatitudo eſt, Deum cognoſcere, & intelligere. *Hæc eſt vita æterna, vt cognoſcant te, ſolum Deum verum, & quem miſiſti Ieſum Chriſtum.* Ioan. 17. num. 3. *Beatus homo qui inuenit ſapientiam.* Prouerb. 3. num. 13. Tigurina. *O felicem hominem, qui inuenit ſapientiam.* Qui hac cognitione incipit eſſe beatus, vt ait D. Thomas.

Ioan 17. Prouerb. 3. Tigurina. Thomas.

119. Abulenſ.
Tertiò Abulenſis quæſt. 62. Petrum, ait quamuis eſſet moriturus, multaſque miſerias toleraturus, tamen dicitur beatus ſpe, per fidem enim habebat certam, & infallibilem ſpem beatitudinis. Sic ait Apoſtolus de ſe, ſuiſque ſociis Rom. 8. num. 24. *Spe ſalui facti ſumus.* Non actualiter ſalui, ſed ſpe. Qui ergo hanc certam, & infallibilem ſpem habent, dicuntur beati, & ſalui ſpe. Sic Matth. 5. num. 3. dicuntur. *Beati pauperes ſpiritu, beati mites*, &c. per has excellentes virtutes habent homines ſpem, & approximationem ad beatitudinem; indeque beati dicuntur: ſolum enim illi, qui habent merita, ſpem & habeant.

Rom. 8. Matth 5. *Qui habent merita, ſpe beati.*

120. Abulenſ. *Pro fidei confeſſione præmium.*
Quartò Idem Abulenſis quæſt. 60. Pro confeſſione fidei Petrus beatus vocatur, vt inde deprehendatur, quòd Deus pro fidei cõfeſſione dat beatitudinem, vt inde nos ad ſimilem fidei confeſſionem maximè alliciamur, vt non timeamus, néc erubeſcamus, Chriſtum confiteri, quia idem retribuet, vt Petro. Sic Matth. 10. num. 32. *Omnis, qui confitebitur me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo.* Et Luc. 9. *Qui me erubuerit, & meos ſermones; hunc & filius hominis erubeſcet, cùm venerit in maieſtate ſua.*

Matth. 10. Luc. 9.

121. Cant. 1. Aponius.
Quintò Aponius ad illa verba Canticor. 1. *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas.* Sic ait ipſe. *Manifeſtum eſt, vbi paſcua Apoſtolorum Principi reuelata ſunt Petro, dum interroganti Chriſto reſpondit: Tu es Chriſtus filius Dei viui. Ecce quomodo oues ad vocem veri paſtoris paſcua vitæ æternæ, in Petro inueniunt: & ideo Petrus tantis laudibus coronatur, cum ei dicitur: Beatus es Simon Bar-Iona, quia in ore eius, reuelante Spiritu ſancto, glorioſa paſcua, & requiei ſempiternæ cubicula Eccleſiæ indicata ſunt.* Ecce paſcua; ac ſpiritualis cibus, quem per reuelationem Æternus Pater Petro dedit, veram nempe fidem; veramque agnitionem Diuinitatis ei infundens. Ipſe tamen, vt verus paſtor, talem cibum, non in ſe retinuit, ſed filiis Eccleſiæ tribuit, eos inſtruens, ac docens in tali fide, talique eius confeſſione. Ecce quomodo oues ad vocem veri paſtoris paſcua inueniunt. Qui autem pabula cæleſtis doctrinæ in ſe non cohibet, ſed in alios, eos erudiens, effundit, merito beatus, ac felix iudicandus, & acclamandus eſt. *Betus, qui inuenit ſapientiam.* Prouerb. 3. num. 13. Chaldæus. *Beatus, qui profert, vel eructat intelligentiam.* Pagninus. *Beatus homo, qui inuenit ſapientiam, & homo, qui eduxerit eam in lucem.*

Qui alios docet, ac illuminat, beatus. Prouerb. 3. Chaldæus. Pagninus.

122. Matth. 4.
Sexto. Ad Chriſti vocem dimiſſis omnibus eum ſequitur Petrus. *Relictis retibus ſecuti ſunt eum* Matth. 4. num. 20. Poſtea verò cùm eſſet adſcriptus in Apoſtolorum numero, & Chriſtus Dominus eos interrogaret, quid de ipſo homines dicerent; Illi reſponderunt. *Alij Ioannem Baptiſtam, alij Eliam, alij Ieremiam.* Cúmque deinde ſuos ſciſcritaretur, quid de eo cenſerent. Petrus aſſeueranter atteſtatur: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* Tunc Dominus illi ait: *Beatus es Simon Bar-Iona*, caputque ſuæ Eccleſiæ conſtituit. Cur non nuncupatur beatus, vniuerſaliſque paſtor creatur, quando ſpretis naui, & retibus ſecutus eſt eum, ſed modò quando ipſum confitetur? Plus ille beati conditione fruitur, illiuſque nomen promere, qui alterius fatetur magnitudinem, quàm qui pompoſas ſæculi diuitias, illiuſque cupiditatem contemnit. Plus enim eſt, inter varias, ac diuerſas opiniones veritatem deprehendere, quàm in-

Valde difficile, alterius dignitatem fateri. Inter varias opiniones veritatem deprehendere, difficile.